



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,  
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

**Eck, Johannes**

**Antverpiae, 1541**

31 De libero arbitrio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35599**

laum præcesserunt. Nulla vidi scri-  
pta rebaptizatorum, audio esse plæ-  
runq; homines indoctos, temerarios  
& qui Latinam linguam non cal-  
leant, vno dempto Balthasare Hieb-  
mair Fridbergerio, qui narratur esse  
author huius perditæ sectæ, is dum  
communione sedis apostolicæ ha-  
beret, doctoratus honore fungeba-  
tur. Det ei deus vt possit lumen cer-  
nere verum.

Cōbustus  
est Viennæ  
1528.

DE LIBERO AR-  
bitrio. XXXI.

**H**Æretici hic resuscitauerūt  
olim extinctā heresim Mani-  
chei, primo quidē negarunt  
liberum arbitriū se habere actiue ad  
bonū opus, quia illud totū & totali-  
ter fieret à deo, dein Luther infanus  
factus, negauit omnino liberū arbi-  
trium, quia omnia de necessitate ab-  
soluta eueniunt, quod olim stupidi  
Stoici, Empedocles, Critolaus, Dio-  
dorus, & alij errantes dixerunt.

Hereticorū  
insania.

Z 3

Dixit

## DE LIBERO

**Gen. 4** Dixit dominus ad Cain: Nonne si bene egeris, recipies: sin autē male, statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius: hic deus facit liberum arbitrium dominū. Luther in ignominiam creatoris, facit illud seruum necessitatum.

**Dent. 30** Mandatum quod ego precipio tibi, non est supra te, sed iuxta te est sermo valde, in corde tuo, vt facias illum. Considera quod hodie proposuerim in cōspectu tuo vitam & bonum: & e contrario mortem, & malum, infra: testes inuoco hodie cœlū & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonum, benedictionē &c. elige ergo vitam, & viuas, & semen tuum: Electio pertinet ad liberū arbitrium, concordat sapiens.

**Eccle. 15** Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mādata conseruare, conserua

seruabunt te, apposui tibi aquam, & ignem, ad quodcunq; volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonū & malum, quod placuerit ei, dabitur ei, nihil exprefius dici poterat pro libero arbitrio.

Et eligent magis mortem, quam vitam, omnes qui residui fuerint de hac cognatione pessima.

Saluabitur innocens, saluabitur Iob. 5  
autem in munditia manuum suarum.

Optio data est Iudæis, an deum se- Iosue vlt  
qui velint.

Optio data David eligendi plagā 2. Reg. 24  
ex tribus.

Optio data est viro in voto vxoris. Num. 30  
Modo optio non est sine libero arbitrio.

Qui potuit transgredi, & non Eccle. 31  
est transgressus, facere mala, & non fecit.

Fecistis mala, quoniam potuistis. Esa. 50

Voluntarie sacrificabo tibi. Psal. 56

Substantia tua, dulcedinem tuam Sap. 16

Z 4 quam

## DE LIBERO

quam in filios habes ostendebat, & deseruiens vniuscuiusque voluntati ad quod quisque volebat conuertebatur

**Mat. 25.** Ait seruus: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum. Lucrari non potuit, nisi si liberum arbitrium haberet se actiue, alioquin diceret se decem talenta accepisse, Concordat Paulus.

**1. Cor. 15.** Ego platuraui, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Infra: Dei enim sumus adiutores.

**2. Cor. 13.** Abundantius omnibus laboraui, non ego sed gratia dei mecum, simul ergo operantur liberum arbitrium & gratia, vt ait Hiero. Et Bernardus dicit Apostolum fuisse socium operationis.

**Psal. 118.** Audiatur Propheta. Anima mea in manibus meis semper. Paratum cor meum deus, paratum cor meum.

**Esai. 10.** Si volueritis & audieritis me, bona terrae comedetis, quod si nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis,

tis, gladius deuorabit vos.

Redite præuaricatores ad cor.

Esa. 46.

Ecce loquuta es & fecisti mala, & potuisti.

Hier. 3.

Proiçite à vobis omnes iniquitates vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouū, & spiritum nouum, & quare moriemini domus Israel, qui nolo mortē morientis, dicit dominus deus.

Ezec. 18.

Reuertimini & viuite. Et antea dixerat: Si impius egerit pœnitētiam ab omnibus peccatis suis &c. in iustitia sua quā operatus est, viuet. Operatur, ergo non solum recipit iustitiam.

Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos, ait dominus exercituum.

Zach. 1.

Hierusalē quoties volui congregare filios tuos, quemadmodū gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluiisti. Deo volente homo nō vult per liberum arbitrium.

Mat. 23.

Si vis ad vitā ingredi, serua man-

Mat. 19.

Z 5

data

## DE LIBERO

data. Cum multis similibus.

**1. Cor. 14** Spiritus prophetarum prophetis  
subiectus est.

**2. Cor. 7** Qui statuit in corde suo firmus,  
non habens necessitatē, potestatem  
autē habens suę voluntatis. Infans  
Luther imponit necessitatem: Pau-  
lus negat, cui credemus?

**2. Cor. 9** Unusquisque prout destinavit in  
corde suo: non ex tristitia, aut neces-  
sitate.

**3. Ioan. 3** Omnis qui habet spem hanc in  
ipso (deo) sanctificat se, sicut ille san-  
ctus est, ecce liberum arbitrium, &  
eius actiuitatem: & Augustinus ibi  
videte, quomodo non abstulit libe-  
rum arbitrium. Infra: Quia agis ali-  
quid voluntate, ideo tibi aliquid tri-  
butū est, vt dicas sicut Psalm. Adiu-  
tor meus esto, ne derelinquas me, si  
dixis adiutor meus es, aliquid agis:  
nam si nihil agis, quō ille adiuuat?

**1. Pet. 1** Simile dicit s. Petrus: Animas ve-  
stras castificantes in obedientia cha-  
ritate.

ritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite. Si ergo debemus nos sanctificare, animas nostras castificare, id non fiet sine libero arbitrio, neque sine actione liberi arbitrii.

Et in conspectu eius suadebimus corda nostra: quomodo autem suaderet sine libero arbitrio, aut quæ utilitas suasionis, si omnia necessario eueniunt, ut insanit Luther? 1. Ioan. 9

Sine consilio tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Luthero bruto, omnia de necessitate fiunt. Ad Philemonem

Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere. Mar. 14

Porro si libero caremus arbitrio, & omnia absoluta necessitate eueniunt, nihil relinquitur precibus, concilijs, regiminibus publicis, deliberationibus, nulla debetur præmia virtutibus, nullæ pœnæ vitijs, pereunt leges,



## DE LIBERO

leges, iura, statuta, præcepta: cessant  
admonitiones, persuasiones, illices,  
&c. nam hæc omnia libertatem exi-  
gunt, necessitate autē cassantur. Et  
in summa, hoc esset omnia flagitia,  
& scelera, impietates ac blasphemias  
in deum referre. Nam quis imputa-  
bit Iudæ proditionem, quā ineuitabi-  
li necessitate commisit &c.

¶ Contra dicit dominus.

**Hiere. 2** Arguet te malitia tua, & auersio  
tua increpabit te.

**Osee. 13** Perditio tua Israel, tantummodo  
in me auxilium tuum.

**2. Tim. 3** Omnis scriptura diuinitus inspira-  
ta, utilis est ad docēdum, ad arguen-  
dum, ad corripiendum, ad erudien-  
dum in iustitia, vt perfectus sit ho-  
mo dei ad oē opus bonū instructus.  
Si omnia necessario fiunt, quid pro-  
dest docere, arguere, corripere, eru-  
dire? Si liberum arbitriū nihil facit,  
quid prodest hominem esse instru-  
ctum ad opus bonum? Vnde Luther  
ex ho-

ex hominibus vult facere truncos,  
& stipites. Qui agunt omnia cum con-  
silio, reguntur prudentia.

Pro. 13.

Hierony. affirmat sibi hoc studium  
fuisse, vt omnipotentiam dei simul, &  
liberum arbitrium astrueret, simile dicit  
Amb. de vocatione gentium, lib. 1. c. 3.

Augu. in pluribus locis, maxime  
tamen libro. 3. hiponosticon, vbi in-  
ter alia inquit: Liberum arbitrium in-  
esse hominibus certa fide credimus,  
& predicamus indubitater. Sic Ori-  
genes, Chrysofom. Basilius, Theo-  
phylactus (cui ob id iniquior est Oe-  
colampadius) omnes astruxerunt li-  
berum arbitrium.

Gregorius Nissenus fatum incue-  
tabile Stoicorum destruit, & liberum  
arbitrium actiuum euidentissime com-  
monstrat.

Cypria. ad Cornelium lib. 1. epi. 3.  
Christus dixit ad Apostolos: Nun-  
quid & vos vultis abire? seruas scili-  
cet, legem qua homo libertati suae  
reli-

Ioan. 6.

reli-

## DE LIBERO

relictus & in arbitrio proprio constitutus, sibi metipsum vel mortem appetit, vel salutem.

Bernardus est totus in hac sententia, in peculiari libro de arbitrio, & gratia.

¶ Obijciunt hæretici.

**Ioan. 3** 1 Baptista dixit: Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cælo.

**Iaco. 1** 2 Omne datum optimum, & donum perfectum, de sursum est descendens à patre luminum.

**2. Cor. 3** 3 Ois sufficiëntia nostra ex deo est.

**1. Cor. 4** 4 Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris? quasi non acceperis?

**Rom. 9** 5 Miserebor cui misertus sum, & misericordiam præstabo cui miserebor, igitur nõ volentis, neq; currentis, sed miserētis est dei. Ergo cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat.

**Esa. 63** 6 Quare errare nos fecisti domine de vijs tuis, indurasti cor nostrum.

ne

ne timeremus te.

7 Nunquid dicet lutum figulo suo, Ibid. 48  
quid facis? & opus tuum absque ma-  
nibus est.

Non est hoīs via eius, nec viri vt Hier. 10  
ambulet & dirigat gressus suos.

8 Si reliquiæ secundum electionem Ro. 9. & 10  
gratiæ dei saluę factæ sunt, si autem  
gratia, iā non ex operibus: alioquin  
gratia iam non est gratia.

9 Quum autem tradent vos, nolite Mat. 10  
cogitare, quomodo aut quid loqua-  
mini, dabitur enim vobis in illa ho-  
ra quid loquamini.

10 Nonne duo passerēs asse venēūt, Mat. 10  
& vnus ex illis non cadet super ter-  
ram sine patre vestro.

11 Nemo venīt ad me, nisi pater qui Ioan. 6  
misit me traxerit eum.

12 Ecclesia orat. Deus cuius est to-  
tum quod est optimum.

13 Augustinus ad Felicianum: Dum  
deus remunerat merita nostra, coro-  
nat dona sua.

Ber.

## DE LIBERO

14 Bernard. Liberum arbitrium est tantum capax salutis.

15 Porro extollere hoc modo liberum arbitrium, quasi aliquid possumus ex viribus nostris, est hæresis Pelagiana: nam liberum arbitrium ante gratiam nihil potest, nisi peccare, ideo scholastici ponentes meritum congrui sunt noui Pelagiani.

¶ Respondent catholici.

Fatemur ante omnia deum esse primam causam omnium rerum, & nihil sine ipso fieri posse, vnde ad omnem effectum naturalem influit generaliter: sed ad operationes bonas rationalis creaturæ concurret etiam speciali influxu. Deus igitur est prima causa mouens & naturales causas & voluntarias. Et sicut causas naturales, mouendo eas non aufert, quin actus earum sint naturales: ita mouendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit, opera-

tas

tar enim in vnoquoque secundum  
 eius proprietatem, cuncta disponēs  
 suauiter. Dein fatemur, liberum ar-  
 bitrium ex se solo non posse in bo-  
 nū, & nihil esse, sed gratia dei facit  
 vt aliquid possit, ideo nullus homo  
 ex se cogitat aliquid boni, sed ex  
 gratia dei speciali. Tertio dicūt hoc  
 non solum intelligi de gratia, quæ  
 est charitas & gratum facit deo, sed  
 etiam de motione gratuita præuia,  
 qua deus inspirat, pulsat, & vocat  
 hominē ad bonum. Ideo diligenter  
 est attendendū, quid solius dei, quid  
 dei & liberi arbitrii simul, Quod si-  
 gnificātissime August. aut quis ali-  
 us eruditus author in lib. de ecclesi-  
 asticis dogmatibus expressit, dicēs,  
 Initium salutis nostræ deo miseran-  
 te habemus (Ecce primus gradus so-  
 lius dei) vt acquiescam⁹ salutari in-  
 spirationi, nostræ potestatis est (en-  
 secundum gradum, qui est liberi ar-  
 bitrii & ibi meritum cōgrui (vt adi-

A a      pisca-

DE LIBERO

122  
piscamur quod acquiescendo in spi-  
rationi cupimus, diuini muneris est  
(ecce gradum tertium gratie gratum  
facientis) vt non labamur in adepto  
salutis munere, nostre potestatis est  
& diuini pariter adiutorij. Quartus  
iste gradus perseuerantia pcedet ex  
gratia dei, & libero arbitrio simul.

**De primo**

Fatemur bonum non nisi deo da-  
tore accipi, sed aliqua dat agente li-  
bero arbitrio, aliqua sine illi<sup>o</sup> actioe

**De secundo**

Ita fatemur merita nostra esse do-  
na dei & data a deo, preueniente, coo-  
perante, & subsequente, sed non ne-  
gatur per hoc liberum arbitrium con-  
currere actiue ad merita.

**De 3<sup>o</sup> 4<sup>o</sup> 5<sup>o</sup>**

De Tert. Quarto, & Quinto si-  
militer dicatur, na deus ex miseri-  
cordia preuenit liberum arbitrium mo-  
uendo, & misericorditer coopera-  
tur adiuuando, voluntates nostras  
aspirando, preueni orat ecclesia.

**De sexto**

Populus peccans non facit deum  
authorem peccati & erroris. Ita in-  
telli

telligatur, fecisti. i. permisisti, sic indurasti. i. indurari permisisti. Iuxta communem theoreticam, sed per hoc non euacuatur actiuitas liberi arbitrii, sed magis comprobatur.

Fatemur omnem hominem debere rebellare, aut superbire cōtra opificem, sicut nec instrumentum contra artificem, omnis enim creatura est instrumentum diuinę potentię, sed per hoc non aufertur liberum arbitrium. De septim

Non est in homine via eius, quantum, ad executiones electionum, in quibus impediri potest multipliciter, velit nolit: Electiones autem ipse sunt in nobis, supposito tamen diuino auxilio. Et ideo nō dicitur esse liber suarum actionum, sed liber suę actionis, quę est iudicium de agendis, & hoc ipsum nomen liberi arbitrii demonstrat. Sonat enim liberum de agendo vel non agendo iudicium.

Aa 2 Sal-



## DE LIBERO

**De octa.** Saluantur boni ex gratia, nō ope  
rib<sup>9</sup>, intelligas exclusa gratia, quia  
**Rom. 8.** opera nihil sunt sine gratia. Non  
enim sunt cōdignæ passionēs huius  
temporis ad futuram gloriam quæ  
reuelabitur in nobis, ait Paulus.

**De no.** Aufert anxiam solitudinē præ-  
cogitādi. Et secus est de sciētia Apo-  
stolorum, quia illa erat infusa, & li-  
berum arbitrium habebat se passi-  
ue, secus de operibus liberi arbitrii,  
quæ simul cum gratia operatur.

**De deci.** Cęcutit Melanchthō, qui hoc di-  
ctum lacerat contra liberum arbitri-  
um, cum omnis homo videat Chri-  
stum velle, omnia esse subiecta pro-  
uidentiaē dei.

**De xi.** Afferimus tractum patris per gra-  
tiam præuenientem & cooperantē,  
sed acquiescere tractioni, & non in-  
durare corda nostra, si vocem eius  
audierimus, hoc est liberi arbitrii.

**De xii.** Admittimus totum esse à deo, nō  
solum in optimis, sed etiam in om-  
nibus

hibus creaturis, sed sicut per hoc  
causæ naturales non excluduntur,  
ita nec in moralibus liberum arbi-  
trium. Alias rotundo dixi, meritum  
est totū à deo, sed nō totaliter, hoc  
clare intelligit bonus physicus.

Merita nostra sunt dona dei, imo De. 130  
omnia bona, quæ accepimus tempo-  
ralia sunt dona dei, sicut Iob ait, sed  
per hoc non excluditur actiuitas li-  
beri arbitrii, sicut nec gignitio bo-  
uis, aut etiam fructificatio agri &c.

Liberum arbitrium est tātum ca- De. 140  
pax salutis. i. gratiæ, ibi enim habet  
se pure passive, id quod dictū est de  
gratia, hæreticus Carlostadius tor-  
quet ad opera meritoria.

Nō sunt Pelagiani ecclesiastici pa- De. 150  
tres, neq; scholastici, non enim ne-  
gant peccatum originale, nō dicunt  
hominem ex puris naturalibus sal-  
uari, sed constanter affirmant grati-  
am necessariā: Imo oportet gratiam  
præuenire operationem liberi arbi-

## DE LIBERO ARB.

**Act. 10** trij. Et recte asserit meritum cōgruū  
sicut de Cornelio Centurione li-  
quet, cuius eleēmosynas deus respe-  
xit & gratiam contulit spiritus san-  
cti: Nō ergo sumus noui Pelagiani,  
sed hæreticus est antiquus stupidus  
stoicus, & manichæi posthumus, Lu-  
therus cum Carolo studio, Urbano  
& Billicano.

### Appendix Tilmanni.

Scito ex præsentia dei non posse  
concludi, omnia ex necessitate eue-  
nire, (id quod putant nonnulli indo-  
cti) & ita actus nostros esse necessa-  
rios, necessitate absoluta, quæ dici-  
tur necessitas consequētis, sed bene  
necessitate cōditionata, quæ dicitur  
necessitas cōsequētiae, cum qua stat  
libertas arbitrii in humanis, sicut  
etiam rerum contingentia in con-  
tingentibus.

Vide quæ Eckius scripsit in Cato-  
lostadiū, & in opere peculiari de Li-  
bero arbitrio. Vide Cocleū, Alphon-  
tium à Villa sancta.